Sorzyc Jacobi: Quaestio de natura materiae primae.

QVÆSTIO
DE
NATVRA MATERIÆ PRIMÆ

In Alma Academia Cracouiensi publicè ad disputandum.
Mense Aprili, Die 20 Hora 10

A

M. IACOBO SOSZYC. SENIORE SCHOLÆ ad ÆDES SS. Corporis Christi. Coll: noie.

PROPOSITA.

Permissu Magnifici Domini Rectoris.

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matth. Andreouiensis,
Anno D 1635.

k.k.k.



SCEPTRA gerit ſapiens ſummi moderator Olympi,
Sceptra duo pariter docta Lycæa gerunt.
Tu nobis Sceptra, ingeniumque virile dediſti
O Pater, ò docti Diue IAGELLO chori.
Iuppiter ipſe pater, ſine matre eſt Palladis, ergo
I Palladis in terras tranſiit imperium.

M. IOANNES CYNERSKI Rachtamouius.
Collega Min. Ord. Eloqu. Profeſſ.

MAgnus Hyperboreis Academus viuit in oris,
Clarior antiquo Neſtore: prole ſacer.
Quid mirum? Arctois Academia floret in oris
Coniugis iſta loco gaudet, at ille viri.

M. IOACHIMVS SPERONOWIC.
Collega Min.

MAGNIFICO DOMINO
RECTORI.
ADMODVM R̃NDIS PATRIBVS,
Clariſsimis, Excellẽtiſsimis, Dominis Doctoribus & Profeſſoribus, Totique Vniuerſitati Almæ Academiæ Crac. Dominis & Patronis Colendiſſimis.

NE vnquam ex animis hominum grata beneficiorum recordatio exoleſceret, publica in populoſis vrbibus Gratiarum templa Græcorum pietas voluit excitari: vt vel autoritate religionis, gratitudinem apud omnes propagaret. Quod ab illis religionis grata neceſſitas ſemper extorſit, hoc mihi officioſa perſuaſit pietas, ut à vobis Admod: R̃ndi DD. & Profeſſores Clariſſimi, acceptæ educationis memoriam, vobis ipſis tanquam Tutellaribus & Patronis conſecrarem. Equidem aliqua obliuio vel ingratitudo, ab inclytâ Academiâ acceptæ inſtitutionis, ſummam mihi, vel inertiæ, vel impietatis famam inuſiſſet, ſi veſtris in me promeritis, quæ plurima à primis annis accepiſſem, nihil reſponderem. Etenim in quâ vrbe lucem hauſi primam, in eadem etiam, non vſpiam alibi, ex veſtrâ informatione accepi inſti-

pi inſti-

pi institutionem. Primitias idcirco profectus mei, qualiscunq; ille sit, vobis literarum Praesidibus offero & voueo. Equidem conscius mihi sum, infirmitatis meae, sed ea praeceptorum in alumnos suos humanitas, quae parentum in filios benignitas est: ut ingenij vel naturae teneritudinem beneuolentiâ suâ & affectu, sciant & confirmare, & in amplius excitare. Sanxit Vestra autoritas, ingenij has fieri exercitationes, publicis propositis disceptationibus: propterea Vestrae non obsecundare autoritati, fuisset hominis vel temerarij, vel de ingenio suo nimiùm diffidentis. Tametsi verò nihil mihi arrogo: attamen per silentium, me aut inscitiae qui omninò non possim, aut ignauiae qui nolim Vobis iubentibus facere imperata, argui nolo. Accipite itaq; meam istam, voluntatis semper vobis obsequentis significationem, & propositam ad disputandum materiam, non ex ipsius obscuritate, aut ingenij mei tenuitate, sed ex Vestrâ in omnes beneuolentiâ aestimate. Datum Casimiriae ex Musaeo meo ad aedes SS. Corporis Christi Anno Domini 1635. Mense Aprili Die Hora

Admod. R. darum, Clarissimarum, Excellentissimarum D. V. obseruantissimus

M. IACOBVS SOSZYCZ.

QVÆSTIO.

V. Materia prima prout ſubſtãtia incompleta, eſſentialiter, & ex naturâ ſuâ, non in reſpectu ad actũ Entitatiuũ, per quem habet propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtẽtiâ formæ, ſed in ordine ad actum formalem, ſit pura potentia nec né?

CONCLVSIO I.

Materia prima neceſſariò eſt ſubſtantia incompleta.

COROLLARIA.

1. Conſideratio materiæ, etiam communiſſimè ſumpta ſpectat ad Phyſicũ: & quidem propriè. Quia alij ſcientifici, conſiderant in illa prædicata quædam etiam alijs communia: Phyſicus verò, conſiderat propria, nimirùm quòd ſit ſubiectum naturalis tranſmutationis

2. Hinc

2. *Hinc rectè ab Aristotele definitur, esse primum subiectum, ex quo fit aliquid, cùm insit, non secundum accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit vltimum.*

3. *Clarum item est, dari in rerum naturâ materiã primam tanquàm primum internum principium compositi substantialis.*

4. *Habet autem passiones suas vt esse ingenerabilem & incorruptibilem, perpetuam, suscipere, appetere formam, concurrere ad quidditatem substantiæ materialis constituendam, & alia.*

5. *Sed neq; illud omittendum, habere materiam primam actum Metaphisicum, constituentem illam in specie sui generis.*

CONCLVSIO II.

Materia prima non est pura potentia, sed habet quendã proprium actum, & propriam existentiam: quem actum communiter Entitatiuum Philosophi appellant.

COROLLARIA.

1. *Materia prima cùm per hunc actum sit Entitas absoluta est cognoscibilis in se sine Analogiâ ad formam, cuius est subiectum.*

Nisi

2. *Nisi haberet hunc actum proprium, materia non esset ingenerabilis, & incorruptibilis, quod volunt isti, qui aßerunt nullum actum habere illam, nisi quem accipit à formâ componente cum illa substantiam materialem.*

3 *Citrà omnem dubitationem tenendum est materiam distingui realiter à forma tanquam ab illa, cum qua constituit compositum, quod non fit, nisi ex partibus realitèr, non solum formalitèr distinctis.*

4. *Quare illud quoq; concedimus libenter materiam habere propriam existentiam. Et quanquam naturalitèr, per se sola non existit, non sequitur hinc vlla falsitas. Nam & forma per se sola non existit, & tamen nullus negat, formam habere propriam existentiam. Potest tamen optimè existere materia per se sola, sine vlla formæ annexione saltem per potentiam Dei, ita vt illa existentia sine vllo miraculo, vel aliqua miraculosa conseruatione sit, licet ipsa separatio materiæ à forma sit miraculosa.*

5. *Grauitèr igitur decipiuntur, qui materiam primam statuunt eße puram potentiam, quoniam in omni re naturali generabili, & corruptibili, duæ sunt realitates positiuæ. Iam verò secundum horum sententiam vna, scilicet forma esset, cum pura potentia*

nihil positiuum, sed potius contrarium quid, hoc est non Ens dicat.

CONCLVSIO III.

Materia est pura potentia, quatenùs respicit actum formalem, per quem constituitur in esse specifico. Quod de essentia & existentia eius dicere absit, cùm vtrumque extra suas causas, independenter habere conclusimus.

COROLLARIA.

1. Non repugnat quidpiam, quominùs materia habeat, sibi coæuam quantitatem interminatam.

2. Nec verò propterea dicendum est, hanc potentialitatem esse actualitatem; Aut si hæc distincta sunt, materiam non esse simplex principium compositorum, sed ipsam quid compositum. Licet enim hæc duo sint re distincta, sed non vt partes: verùm vt priùs, & posteriùs.

3. Cùm ad omnes formas, tàm substantiales quàm accidentiales, materia sit in potentiâ, singulasq; illarum apta est recipere, colligitur facilè, hanc materiam

riam

riam primam, eſſe vnam re, diſtinctam ratione.

4. Potentiam igitur hic intelligere debemus, non obiectiuam, in quâ fuit mundus, antequam crearetur: ſed ſubiectiuam, in quali dicitur eſſe æs reſpectu formarum artificialium, quarum vllam non recipit, ſed in potentiâ eſt ad recipiendum.

5. Conſtat ex dictis, hanc Concluſionem non impedire, quominùs materia prima, dicatur Entitas realis poſitiua. Licet enim ſit potentia pura, quoad omnes formas non tamen quoad ſe talis dici poteſt, quia nihil eſſet, nihil autem non eſt receptiuum Entis.

CONCLVSIO IV.

Potentia non eſt eſſentialis differentia, conſtituens materiam in proprio ſuo eſſe, ſed potiùs hoc efficit, proprius illius actus Entitatiuus.

COROLLARIA.

1. Quoniam certum habemus, potentiam reperiri in materiâ, dicendum eſt, illam eſſe, de eſſentiâ materiæ, non tamen in primo modo dicendi per ſe, ſed ſolùm in ſecundo. Hinc fit quod ei competit, tanquàm

quàm propria eius paßio, sine quâ non potest dici receptiua formarum, rectè tamen absq; illâ dici, & esse potest Entitas realis positiua.

2. Optimè materia hæc, in primâ constitutione sui, concipi & cognosci potest, sine hac potentiâ, cùm ad constituendam illius naturam, non requiratur, nisi quatenus est receptiua formarum.

3. Nisi aliud eßet de eßentiâ materiæ, quàm potentia ad formas, mutatio substantialis eßet impossibilis.

4. Atq; sic cùm non potentia, sed actus, est eßentia materiæ primæ, stare potest, illam eße causam, & principium cuiusuis Entis, aliâs tota doctrina Philosophorum concidit, & falsa est.

5. Postremò, quia eßentia semper est, cum eo cuius dicitur eße eßentia, tùnc potentia, si eßet de eßentiâ materiæ, semper in illâ maneret, etiam post aduentum formæ, quod contrariè habere se à Philosophis docemur.

Sub felicibus auſpicijs Admodum
R'ndi & Magnifici Domini,
D. IACOBI NAYMANO-
WICZ, I. V. Doctoris & Pro-
feſſoris, Canonici Cracouień:
Archidiaconi Pileceñ: &c. &c.
Vniuerſitatis Crac: Generalis
RECTORIS.